



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 33. Quid notandum sit circa Religiosum, qui dimittit vestem seu habitum sui Ordinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

que communiter cum *Sanch.* n. 8. dicunt te non esse apostatam, quia non habes animum deficiendi à Religione incommuni, sed tantum commutandi hanc cum tua: *Castrop.* n. 7. licet hanc sententiam vocet probabilissimam, tamen dicit oppositam esse veriore, quia sic recedens à tua Religione es fugitivus, ergo cum ab ea recedas cum animo nunquam redeundi ad illam, es apostata à tua Religione, ergo simpliciter apostata. Adde, quod Pontifices dicant transeuntes à Societate JESU ad alium Ordinem sine licentia, posse puniri tanquam alios apostatas, per quod satis innuunt sic transeuntes ad alium Ordinem, etiam hoc ipso esse apostatas.

Q. 33. Quid notandum sit circa Religiosum, qui dimittit vestem seu habitum sui Ordinis. R. seqq. 207

§. I. Si habitum temerè dimittat, ut sic celet statum & liberius vagetur, peccat mortaliter & incurrit excommunicationem, secundum dicta n. 205. Putat tamen *Sanch.* in Decal. l. 6. c. 8. n. 7. Religiosos Societatis JESU non ideo peccare aut excommunicari, quia non habent certum habitum: sed contradicit *Castrop.* t. 16. d. 4. p. 6., quia proprius illorum habitus est, qui est Clericorum illius regionis.

§. II. Non temerè dimittis habitum, si ideo deponas, ut aptius personam repræsentes in ludo vel recreatione, ut velocior sis, ut nates &c., hæc enim non sunt voluntaria occultatio status, *Nav. Rodrig. Suar. Sanch. Castrop.* Et idem tenent, licet aliæ vestes ad hos effectus induantur: imò etiam si deponas ob finem turpem, v. g. ut voluptuosius forniceris, ut facilius fureris, *Nav. Suar. Sanch.* & alii: intellige tamen, inquit *Castrop.*, si prima intentio sit fornicari aut furari, nam incurreres excommunicationem, si prima intentio fuisset occultare tuum statum. 208

§. III. Licet communior & probabilior sit sententia. 209

tentia incurri excommunicationē, licet retineas habitum tuum, si superinducas sæcularem, & ita occultes Religiosum statum, uti tenent *Sanch.* & alii, cum aliàs facillimè eludi posset lex ejusque finis, qui est, ne quis vagetur &c., tamen *Suar. Sayr Castrop.* & alii, quamvis concedant talem peccatum graviter, probabiliter excusant à censura, & probabile esse fatetur *Sanch.*, quia verba, quæ hìc strictè sunt interpretanda, loquuntur expressè de dimittente habitum.

210 §. IV. Si quis habitum temerè dimitteret per hõram tantum, peccaret tantum venialiter, quia hìc datur parvitas materiæ, uti diximus l. 1. n. 671.

211 §. V. Ille temerè dimittit habitum, qui sine legitima causa dimittit, pro nihilo ducens legis prohibentis violationem: è contra excusaris, si dimittas ob actionem, quæ in proximi salutem cedat & aliter commodè fieri non possit: Item ob vitandum periculum scandali, infamiæ, damni tui aut tuorum, est enim tum rationabilis causa deponendi: nec opus est, ut justitia causæ evidentè constet, sed sufficit probabiliter apparere, *Suar. Sanch. Castrop.*

212 §. VI. In hac lege, quæ juris communis est, nemo nisi Papa dispensare potest; & nequidem adesse debet causa; alii Superiores in dubio de justitia causæ possunt solùm interpretari legem ac declarare, quod eo casu non obliget, *Castrop.* n. 13.

Circa pœnas Religiosi fornicarii, vide *Hann.* de just. T. 6. tr. 2. n. 200. *Purb.* l. 5. t. 16. n. 75. *Pelliz.* T. 2. tr. 9. c. 4. n. 204.

213

C A P U T II.

De Statu Clericorum.

“Clerici generaliter dicuntur illi, qui sacris Ordinibus, vel primâ saltem tonsurâ sunt initiati: